



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 22. Ecclesia S. Genobevæ reformatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. ultra quidquam a Crucigeris in illis or-
 A. C. 1147. bis partibus effectum.

§. XXII.

Ecclesia S. Genovevæ reformatur.

vit. S. Guill. Rosch. 6. April. Boll. to. 9. p. 626. Inter hæc Eugenius Papa, Romanorum seditionibus fatigatus, in Franciam proficiscitur, & Lutetiæ Parisiorum a Rege Ludovico & Theobaldo Episcopo, antea ad S. Martinum de pratis Priore, excipitur. Obviam progressi Pontificem magna pompa ad Ecclesiam Dominae * nostræ deduxerunt. Post paucos dies Papa Ecclesiam S. Genovevæ adiit, sacris operaturus. Ipso limen subeunte, qui supellectilem Ecclesiæ curabant, pavimentum ante Altare velo serico straverunt, super quod se se toto corpore demittens Papa oravit. Tum surgens, sacrarium intrat, vestes ad Missam celebrandam accepturus. Interim vero Papæ familiares velum, cui incubuerat, sibi tollunt, dicentes, suum hoc esse pro antiquo more, & Canonicorum famuli indignantes spoliū ex eorum manibus eripere conantur, & ita, his illisque in diversa trahentibus, pretiosus pannus in fragmenta scinditur. Tum pugnis fistibusque certatum. Rex ipse cum venisset, rixas sedaturus, in eo tumultu verberatur.

* S. Mariæ.

Papæ

Papæ domestici querelas ad eum ^{Sæcul. XII.}
 deferunt, laceratas vestes & cruentatos ^{A. C. 1147.}
 vultus exhibent. Tum Pontifice Regem
 rogante, ut rei punirentur, quia præterea
 illi Canonici vitæ licentia Laicis scan-
 dalum creabant, inter ambos convenit,
 S. Genovevæ domum monachis nigris,
 videlicet Cluniacensibus, tradendam esse,
 eo tamen pacto, ut Canonici, antiqui
 possessores, quoad viverent, Præbendis
 potirentur. Rex, ad bellum sacrum di-
 scedens, quod statutum fuerat, Papæ &
 Sugerio Abbati executioni dandum
 commisit. Jamque octo Monachi ex Cœ- ^{Eug. ep. 13.}
 nobio S. Martini de pratis in Ecclesiam ^{14. &c.}
 S. Genovevæ propediem recipiendi e-
 rant, cum Papa Canonorum precibus
 victus, mente mutata, potestatem fecit
 Canonicos Regulares S. Victoris intro-
 ducendi, quod Abbas Sugerius execu-
 tus est. Odo S. Victoris Prior post illam
 reformationem Primus ad S. Genove-
 vam Abbas fuit.

Rex Ludovicus junior, profectioem
 in terram sanctam suscepturus, pro mo-
 re ad Monasterium S. Dionysii se contu-
 lit, ut iter suum sanctis Martyribus com-
 mendaret, scipionem quoque pie pere-
 grinantium & Auriflammam * accipe- * ^{Vexillum}
 ret. Porro ex Francia profectus est, ^{Militare.}
 Sabbato post Pentecosten, die decima ^{Gesta Lud.}
 quarta Junii, anno millesimo centesimo ^{6. 4.}

Sæcul. XII. quadragesimo septimo, eandem viam ac
 A. C. 1147. Rex Conradus per Germaniam & Hun-
 gariam tenens; sed divisis exercitibus
 proficiscebantur, ob enormem hominum
 multitudinem & diversum tot nationum
 genium, unde rixarum occasio facile na-
 sci potuisset. Utrumque Regem Lega-
 ti Papæ comitabantur, & Regem Roma-
 norum quidem Theotinus, ex gente Ger-
 manorum, Episcopus Portuensis, Regem
 vero Francorum Guido Florentinus,
 Cardinalis Presbyter Titulo S. Chryso-
 goni.

§. XXIII.

Errores Gilberti Porretani.

to. 10. Conc. Eugenijs Papa Parisiis versatus, in Fe-
 p. 1105. & sto Paschæ, quod hoc anno millesimo
 1121. centesimo quadragesimo septimo in diem
 vigesimam Aprilis incidebat, Conven-
 tum celebravit, in quo errores Gilberti
 Porretani, Episcopi Pictaviensis, ad exa-
 men vocati. Hic Præsul, Pictavii natus,
 maxima vitæ suæ parte in variis Franciæ
 urbibus Philosophiæ studuerat, & Præ-
 ceptores habuerat, præter alios, duos fra-
 tres Anselmum & Rudolphum Laudu-
 nenses. Ipse quoque clarissimus Magi-
 ster existimabatur, morum gravitate con-
 spicuis; sed plus justo capiebatur sub-
 tilibus Dialecticæ quæstionibus. Ponti-
 ficatus Eugenii anno primo, scilicet mil-
 lesimo

*Gauf. Cla-
 raval.
 v. Mabill.
 Præf. in
 Bern. n. 52.*